



L VII 194



210/53

57 - 100.



99.  
Quod Trinuni DEO

ita placuit,

*Clariss. Eruditiss. Humanissimusq; Vir,*

**DN. DANIEL WANCKIUS,**

Scholæ Gorlicensis Pro-Rector

meritissimus,

*Lectissimæ pietatis Fœminam*

**ANNAM VOGTIAM,**

Conjugem optimam fidelissimamq;

*XVII. Mart. piè denatam,*

*XXI. ejusd. An clō lōc LXVI.*

*terra committit,*

*sed ad Christi vocem*

*ad vitæ immortalis gaudia*

*resurrecturam,*

Collegæ Scholici & discipuli

*συμπαιδείας*

testandæ causa

lugubribus metris funus

comitabantur.

---

**GORLICII,**

*Typis CHRISTOPHORI ZIPPERI.*

DN 9046 259



Ad  
Cl. Virum DN. DAN. WANCKIUM,  
Collegam Exoptatissimum,  
pientissimæ Conjugis  
pic denatæ, beatum abitum  
pic lugentem.

**D**Enatam quod scribo, piè Clarissime WANCKI  
Quam vitæ dederat Fova tibi sociam,  
Non temerè scribo: qui sic denascitur, idem  
Nascitur ad vitæ gaudia mille nova.

*ωαραμυθίας loco scrib.*

DAVID VECHNERUS.

---

**P**Lurima quæ tecum perpeffa pericula, bel-  
lum,

Flammas, exilium, pauperiemq; tulit:  
Illa tuis erepta oculis, Clarissime WANCKI:  
Hinc tua cordi vorus pectora maror agit.  
Jure doles, quis enim castos non ploret amores?  
Quis non amissam cum pietate fidem?  
Sensimus haud pridē similes in mente dolores:  
Cum raperet sociam mors inopina meam.

Sed



Sed me qui recreat DEUS, idem Trinus & Unus  
Cor releuet viduum pro bonitate tuum!

M. CHRISTOPHORUS SEIFERTUS.

---

**E**rgo Tua est Uxor brachia inter mortua WANCKI,  
Et subitis fatis ad sua fata redit?

O factum benè! jam vivit brachia inter ovata  
Ejus, qui summi fons & origo boni.

Condolens  
adjiciebat

M. CHRISTOPH HASSFURD.

---

**Q**uid hicce quaeso Mundus? Ossuarium  
Commune, quo moramur inter mortuos  
Nos mortui. Quid Vita? Mors ipsissima,  
Indigna vitæ, quo vocetur, nomine.  
Omnes quid actiones nostræ? Somnia,  
Et si fugacius quid est insomniis.  
Expertus hæc loquor. Mensis jam septimus  
Elabatur, quo mortis inclementiâ  
Adempta Conjux est, pars Cordis optima.  
Idem Tibi, SEIFERTE, quod scis, unico  
Vix mense præterlapso, nuper obtigit:

A 2

Ut,



Ut, bina quum tori præissent pignora,  
Sit conseqvuta mors vitæ Consortium.  
Nec sufficit sic nos tentarier, duos.  
Tu tertius, WANKI, nobis adjungeris  
Citam dolendo mortem fidæ Conjugis.  
Sic Ossuarium, sic Mors, sic Somnia  
Sunt, Vita, Mundus, quævis Actio quibus  
Depingitur vivis verè coloribus.  
Quærat quis ergo: Vita cui tutissima?  
Jam mortuus qui vivit inter mortuos.

Ita  
vitam non vitam  
ex  
Cive Christiano  
statuit

ANDREAS THESEUS.

**N**E, quesò, extincta vitalia lumina Cajæ  
Deplores nimium, Vir peramate, tuæ!  
Christicolarum animas, DEUS is, qui suscipit omnes,  
Hujus & in gremio curat, amatq; suo.  
Nuper quæ varios cumulativè est passa dolores,  
Ejus nunc terrâ molliter ossa cubant.

Tu



Tu modò, qui solitus JOVÆ confidere summo,  
Velle tuum patiens subjice velle DEI,  
Cujus velle bonum est, præceptũ velle supremũ est,  
Quem penes est fidis spes rata, vera salus.

MATTHÆUS SEYLERUS.

*Ad mœstissimum Dn. Viduum.*

**F**Allor, an à Mortâ conductus Martius atrâ,  
Ut morbo affectis fata suprema ferat?  
Martius infesti dictus de nomine Martis,  
Infandam rabiem qui saturare nequit.  
Hinc non est mirũ, rapiat quod Martius ægros,  
A sævo quoniam nomina Marte tenet.  
Adde, quod in mortes est Marti fertilis aër,  
Qui plerumq; agris lethifer esse solet.  
Sed ceu Vere novo tristis post frigora brumæ,  
Fragrantes violæ, sole tepente, virent:  
Sic etiam CONIUX florebit in ætheris aulâ,  
Quando perpetui tempora Veris erunt.  
Felix, quem nitidi recreant violaria cœli,  
Lata ubi perpetuo gaudia flore vigent.

*Condolens scribeb.*

ANTONIUS Schmidt.

A 3

Antea



*A*ntea vexabant varij mea corpora morbi,  
*N*unc vici, in *J*esu cum sanctis lator ovoq;  
*N*on timeo posthac angores, bella, pericla,  
*A*blatus mæror nunc est è cordibus omnis.  
*V*ivo perfelix, omni bonitate fruiscor,  
*V*inum letitia vera mihi porrigit æther  
*A*rtubus instruxit me firmis, corpore sano.  
*N*ullis adversis obnoxia, gloria *J*ova.  
*C*ristus me donat *J*esus diademate pulcro,  
*I*lius in brachiis requiesco Hic sola voluptas  
*A*utbor justitiæ, mea lux est, vita salusq;.

**ANNA WANCIA**

*ἀναγγελματις εἶσα*

In, Canna A, Uva.

*Hoc in canna fui fragilis systemate mundi  
Nec non a mortis mox jugulata manu:  
Nunc vitem vitæ *J*esum sine fine videbo,  
Uva in vineto sum maneoq; poli.*

**T. V.**

---

**E**Xtremum in vasto quicquid systemate mundi,  
Sortis vel mortis deniq; præda fuit.  
Ecquis in Orbe fuit, Præceptor amande, repertus  
Cujus in arbitrium sic data fata forent,  
Ut cras venturam sibi promittere lucem  
Possit, & hinc vitæ stamina longa suæ?

Vitæ



Vita quid est hominis subjecta per omnia forti  
Et morti? nihil est quàm labor atq; dolor:  
Omnes cum toto res convertuntur in Orbe  
Cumq; suis fulcris maxima regna ruunt.  
Hocce, quod asserimus, tua dilectissima Conjux,  
Mœste Vir, indomitâ morte perempta, docet,  
Nostrarum de tam variâ vertigine rerum  
Mens pia quid statuât, pagina sacra docet.  
Fortunæ cæcæ non hoc ascribe, sed ipsi,  
Cujus in arbitrio sunt sita fata, DEO;  
Non sub Sole novum geritur, sed gesta recurrunt:  
Nam quæ nunc fiunt, facta fuere prius,  
Mutatis tantum personis, semper eandem  
More suo scenam ludit in Orbe DEUS.  
Sed bona spes sortem, fidei constantia mortem  
Vincet, & æternâ laude trophæa feret.

*Abrahamus Fridricus Thomas.*

---

**Q**Uæ variis afflictâ modis, graviorq; senectâ,  
Ardenti optavit dulcia fata prece:  
Denascens tua nupta DEO, Clarissime WANKI,  
Tendit ad astringeræ tempea leta domûs.  
O fatum sapiens! ô Numinis alma voluntas!  
Tristes perpetuùm nescia ferre bonos.

*Christianus Hertelius, G.L.*

---

**D**ICTUM Scripturæ: Nullus crucis absq; Sagittâ  
Servus, quem peramat Summus JÖVA Pater.  
Ergo



Ergo quod mortem, *Præceptor*, amande *Maritæ*  
Luges, & calidis fletibus ora rigas:  
Scripturæ memor esto, *DEI* Teq; esse *Ministram*  
Dilectum, sine quo nulla sagitta crucis.


*Jacobus Göldnerus.*

**S**pargite Pierides lacrymis penetralia Ludi  
Phæbica, quæ multo luctu obstupefacta videmus  
Nos sub eorundem recubantes tegmine Sancto!  
Spargite! Nam tetras iterum divertere *Parcas*  
Fama est. Heu dolor! heu! Vix sunt de Morte dolores  
Finiti gemina uxorum: Clarissime *WANKI*,  
Mox eadem Te fata premunt, rapiuntq; *Maritam*,  
Quæ dilecta fuit, quâ cum multosq; dolores,  
Nec non exilium superâsti. Desine quæso  
Indulgere tuo mæro, i, desine vultum  
Humectare tuum lacrymis: Tua namq; *Marita*  
Est suscepta polo, quo flores aura beata  
Elysiæ permulcet: ubi sine fine voluptas.  
Vivit in Angelico cætu. Ergò sistito fletus.

*Georgius Gleißberg/ G. L.*

**V**Ita quid hæc? Mors est, variis circumdata sortis  
Syrtibus, has superans nonne beatus homo?  
Evafit syrtes has nunc *TUA* pallida *Conjux*,  
Quæ fuit afflictæ fida columna domûs.  
Ergo *TUAM* dicam meritâ cum laude *Maritam*  
Felicem. Tales vita beata manet.

*G. L. Wiesnerus.*









Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8